



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

Probus, Johannes

Monachij, 1731

VD18 12260568

Caput LXIV. De aliò spoliatore.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

¶ Cum peteret ægritudinis, ibique ad breve temporis spatium decumbens in talem incidit paupertatem, ut uxor ejus ad portam supradicti Monasterij veniens culpam viri sui detexerit, eleemosynamque sibi & viro suo, justo DEI judicio depauperato, à portario ministrari rogaverit.

C A P U T L X I V.

De aliò spoliatore.

Militaris quidam de Castro *Stormede* propè oppidum *Geseke* situato Monasterium B. MEINULPHI aliquibus suis vaccis de Grangio suo *Graffen* spoliavit, quo factò corporali sanitate privatus hydropicum morbum incidit, ac per illum vitam suam satis miserabiliter terminavit.

C A P U T L X V.

De septimo Priore Monasterij B. Meinulphi.

Supradicto Venerabili Priore in vita sua existente, cùm jam præsenectute, ac multis sollicitudinibus, quibus se in vinea Domini multipliciter fatigaverat, ad amplius regendum inhabilis factus esset, humiliter petijt, ut absolutionem à suo Prioratu recipere mereretur. Quò factò, sicut gloriosus Hieronymus devotum Eusebium unum ex discipulis suis ad regendum suos Fratres post se dereliquit, ita Domino DEO disponente Frater *Arnoldus de Holde* humilis ac DEO devotus unus ex supra dicti Patris discipulis ei in regimine successit, qui dum electus, & confirmatus fuit, & à foris videlicet à Prioratu Domûs S. Dyonisij in *Mollenbeke* ritè & legitimè vocatus, jam jamque B. MEINULPHI Monasterium ingrederetur, & Venerabilis prædictus Prior præcessor suus me præsentè id audiret, quamquam senex, & omnino debilis extiterit, debilitate tamen suâ neglecta velut de gravi somno evigilans concito gradu unà cum devoto Fratre *Joanne de Lippia* gressus ejus observante novo Priori occurre.

rc